

De vulneribus arteriarum in artubus saepe funestis, raro lethalibus / [Georg Krysing].

Contributors

Krysing, Georg, 1702-
Waldschmidt, Wilhelm Ulrich, 1669-1731
Universität Kiel

Publication/Creation

Kiliae : Litteris viduae Joh. Christoph. Reutheri, [1728]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hvwrqqwn>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

30
Q. D. B. V.

DE

VULNERIBUS ARTE-
RIARUM IN ARTUBUS
SÆPE FUNESTIS, RARO LETHA-
LIBUS.

DISPUTATIO INAUGURALIS
MEDICO-CHIRURGICO-FORENSIS,

QVAM

EX DECRETO GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
PRAESIDE

DN. WILHELMO HULDERICO
Saldtschmiedt / D.

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE EXPERIMENTALIS PROF. PUBL. PRIMARIO
S. R. I. ACADEMIAE LEOPOLDINAE N. C. COLLEGA,
FACULTATIS MEDICAE h. t. DECANO,

PRO DOCTORIS GRADU

SUMMISQUE IN ARTE PÆONIA HONORIBUS, PRIVILE-
GIISQUE, RITE, MOREQUE MAJORUM SOLENNITER
CAPESSENDIS IN ACROATERIO MAJORI,

LOCO HORISQUE CONSUETIS

DIE XVII. NOVEMBRIS ANNI M DCC XXVIII.

PUBLICO PLACIDOQUE ERVDITORVM EXAMINI COMMITTET,
AUTOR DEFENSURUS

GEORGIUS KRYSINGIUS,

FLENOPOLEO-CIMBER. IN PATRIA PRACTICVS MEDICVS.

KILIÆ, LITTERIS VIDVÆ JOH. CHRISTOPH. REUTHERI.

DE

LIBRIS ARTIUM
RARIORUM IN ARTIBUS
SPE FUNESTIS. RARO LIBRIS
LIBRIS

DISPUTATIO IN ANATOMIA
MEDICO-CHIRURGICO-PHYSICA

QUAM

DECTO GRATISSIME FACULTAS MEDICAE

PRaeside

WILHELMO HULDERICO

Goldschmidt D.

IN ACADEMIA MEDICA S. CAROLAE

S. R. I. ACADEMIAE MEDICAE S. CAROLAE

FACULTATIS MEDICAE II. DECANO.

PRO DOCTORIS GRADU

IN ACADEMIA MEDICA S. CAROLAE

DE QUAE, RITE, MORBOLE MAJOREM SOLICITUDINE

CAPITULUM IN ACADEMIA MAJORI

LOCO HEREDITARIO CONSTITUTIS

DIE XXII. NOVEMBRIS ANNI MDCCLXXVII.

PRaeside FACULTATIS MEDICAE S. CAROLAE

AUTOR DEPENDENS

GEORGIUS KRYSINGIUS

PHYSICUS-CHIRURGUS IN PATENTIA S. CAROLAE

WILHELMUS LIBRARIUS S. CAROLAE

PRÆFAMEN.



uanquam inter ea, quæ in rerum natura, totoque hoc mundo constant, quæque moventur tantum non omnia, *homo* excellentia & dignitate quadam sua emineat, singularique Dei Optimi Maximi liberalitate, non forma solum venusta, habili & a misera illa bestiarum, rationis expertium fortuna longe remota, largiter effuseque condecoratus, cœli quod Poëta dicit, cœrulea templa suspicere, & perpetua sapientissimi ejusdem opificis memoria recreari queat & confirmari, juxta tritum illud *Nasonis*: (a)

„Pronaque quum spectant animalia cætera terram,

„Os homini sublime dedit, cœlumque tueri

„Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Verum præterea, anima quoque immortalis præditus, quæ sunt præsentia, quæ præterita, quæque futura, ratiocinando explicare possit, & tantum non semper dijudicare; Nihilo tamen minus, sanctius idem (loqui ita cum vate liceat) animal tantis tamque funestis undique fere infestatur malis, ut jam olim *Chrysostronus*, *omnibus malis, hominem pessimum esse malum* judicaverit, qui cum inter Bestias unaquæque suo quodam ceu proprio angatur malo, pluribus uno veluti agmine conjunctis angitur. Inprimis huc referendi sunt *morbi*, cæteraque Valetudinis genera, quæ non solum a primis, quod ajunt incunabulis, in seram usque senectutem mortales usque eo hostiliter sæpius tentant, ut *Divus Hippocrates* haud inaniter pro-

A

nun-

(a) *Lib. I. Metamorph.*

nunciavit: (b) ὅλος ἄνθρωπος ἐκ γενήλης υἱὸς ἐστίν. & alibi: (c) „ἐκ μηρόων γὰρ λύρω ἐξέδορε τοιαῦτος: sed & multimodis a deo insidiis felicitatem humanam sæpius appetunt, ut experientia optima rerum magistra dudum probaverit, quod nulla fere, ne minima quidem hominis pars sit, quae non periculosis morborum tentationibus sit obnoxia. Quis, quaeso est, qui nesciat tot morborum genera ex interna viscerum labe provenientia? Quis cætera ignorat pericula, ex alio quodam debilioris naturæ vitio sæpius erumpentia? Nemo certe, nisi, qui fortis humanæ, eorumque quæ mortales quotidie fere offendunt, inscius omnino, rudis & ignarus? Neque aliter multo comparatum est cum caussis externis in corporis nostri, nisi mature eidem succurratur, superficiem præter omnem quoque opinionem maxime sæpe injuriis. Ex larga exemplorum messe, ut spicilegium tantum aliquod repetam, quem latet frigus immite in corpus humanum haud infrequenter adeo esse iniquum, ut non ipsa solum experientia, hiberno præsertim tempore homines, naso, pedibus, digitisque mutilatos ostendet, sed & Borellus, (d) Bartholdus, (e) Gockelius, (f) Diemerbroeckius, (g) aliique gangrænam & sphacelum (h) frigus nonnunquam excepisse testentur? Quem fugit bestias audaciores fortunas mortalium nimium quantum sæpius

(b) *Epist. II. ad Damages. period. 279. Edit. Linden.*

(c) *ibid. per. 285.*

(d) *Cent. III. observ. 24.*

(e) *Oper. Medic. Dec. 2. obs. 1.*

(f) *Gallicin Medico pract. obs. 98. Cent. II.*

(g) *Observ. 13. in Operibus ejus.*

(h) *Sic beatus parens meus, post fata mihi colendus, Lipsia dum degeret, pedes pueri, multam nivem diu percursantis, a frigore ita sphacelatos vidit, ut levi attractu sine ullo dolore, aut sensu, sponte deciderent.*

pius vexare, quum & animalcula iisdem aliquando infidientur, & *Cramerus* (i) lacertam quandam in aure cauponis cuiusdam latibulum quarentem, ossis petrosi arrosione, crudelia excitate symptomata sit testificatus? Præterea compressionis fortioris pericula adeo sæpissime dubia, ut *Celeb. Wedelius*, ægrum erysipelate exinde laborantem peculiari disputatione produxerit. (k) Nec memoria excidit casus ille tragicus, paucos ante annos coram summo Tribunali provinciali agitatus, quando Nobilis alicujus subditi tres, propter arctiorem vinculorum constrictionem sphacelo brachiorum & crurum interierunt. Omitto varia contusionum discrimina, quarum alia tibiis inflammationem cum gangræna conjunctam, (l) alia femori & lumbis ecchymoma, (m) alia vero scroto & cruri gangrænam (n) attulerunt. Taceo denique una cum plurimis aliis, venæsectionis sinistre administratæ damna a *Riverio* (o) & *Pareo* (p) notata: Sola in præsentiarum vulnera verbis nostris fidem concilient, quæ non modo plerumque ex causis externis originem trahunt suam, verum generi etiam humano tanto funestiora nonnunquam minitantur pericula, quanto arctius inter hæc quæ læsa sunt membra, & illas, quæ ad vi-

A 2

tæ

- (i) in *append. observat. ad Colleg. Chym. Jenæ 1682. in 4. editum.*
 (k) de ægro Erysipelate laborante habita *Jen. 1682. Respondente G. F. Kinnero.*
 (l) *L. F. Jacobi Diss. proponens Casum Eryspelatis scorbutici subito in sphacelum terminati Resp. J. E. Grosgebauer Erfurti 1711. habita. ubi mox in principio exemplum.*
 (m) *J. Wolffii obs. 9. Lib. II*
 (n) *Hildan. Cent. 2. obs. 83. Horst. problem. Med. f. m. 389.*
 (o) *Cent. II. obs. 86.*
 (p) *Oper. Lib. IX. c. 38. It. Wreden. Collectan. Chirurg. Hannoverensis obs. 19. & Rhodius Cent. 3. obs. 88. qui lethalem forte, observavit aliquando.*

tæ functionumque vitalium conservationem absolute necessa-
 riæ sunt partes cognatio intercedit. Cumque præ cæteris
 ARTERIARUM VULNERA IN ARTUBUS huc referri so-
 leant, argumentum istud, quod non in foro solum sed &
 præcipue in praxi, quam vocant clinica & chirurgica utilita-
 tem de se sperare jubet haud contemnendam, cum disserta-
 tio quædam inauguralis, pro adipiscendis SUMMIS IN AR-
 TE SALUTARI HONORIBUS mihi fuerit habenda, tanto
 lubentius selegi, in quo edisserendo, præcipue quod ad le-
 thalitem attinet, vulneribus hujusmodi nonnunquam satis
 temere impactam, humeri quid valeant, periclitarer, quan-
 to certius ipsa pridem experientia sum edoctus, quod quam-
 vis medico haud raro & in forum sit progrediendum, præci-
 puum tamen ejusdem erga societatem humanam officium in
 sublevandis plerumque ægritudinibus versetur. Faxit Deus
 feliciter!

§. I.

Quando philosophi tantum non omnes olim πρὸς τὸ
 ὀρθῶς διδάσκειν, cæteris tantisper sepositis, in
 primis jusserint ἐξετάσειν τὰ ὀνόματα: Nobis quo-
 que de ARTERIARUM VULNERIBUS IN AR-
 TUBUS disserturis, ne præcepti hujus prorsus videamur im-
 memores, primam statim eo intendendam esse curam facile
 perspicimus, ut singulis verbis strictim expositis, ista curatius
 paullo attendamus, quæ ad totius rei caput eo feliciter expli-
 candum, lucis haud parum afferre posse videntur.

§. II.

Hanc vero viam ingressis, quum in ipso mox limine, no-
 men occurrat *arteria*, haud quidem operose investigare ani-
 mus est, utrum arteriæ ita dicantur, πρὸς τὸ τὴν ἄερα τηρεῖν;
 [quod]

[quod plerisque placere testatur *Speigelius*. (1)] An vero, quod alii malunt, *παρὰ τὸ αἰρεῖν*; an denique *παρὰ τὸ ἄλλομαι*, quasi ex nonnullorum quidem sententia essent ἄλτηρια, denominationem acceperint suam. Neque pluribus enarrare opus esse autumo, quod antiquorum plerique, & inter hos præcipuus, HIPPOCRATES noster, per arteriam aliquando intellexerit *σπυγμῆα*, (2) aliquando *vas* aliquod *sanguiferum*, (2) aliquando etiam testante id *Galeno*, (4) eandem *venam* vocaverit, manifesto indicio arteriarum proprie dictarum a reliquis vasis differentiam, veteribus non omnino fuisse ignotam. Nec vero denique longius jam persequi lubet, quibus alias nominibus arteriæ insigniri soleant, quando scilicet, ut alia taceam, a *Bartholino* (5) adducta, *Arabibus* audiunt *Nervi pulsatiles*; *Aristoteli* modo *vena minores*, (ad differentiam scilicet *venæ cavæ* aliarumque, quas majores vocat) modo *vena nervosa*, quia contrahi facile possunt & extendi. (6) Et *Avicenna* *vena audaces*, *Plinio* vero *semita spiritus* nominari consueverunt. Sufficiat pro instituti nostri ratione adnotasse, cum medicis hodiernum Celeberrimis, *arteriarum nomine* nobis venire *canales longos, ramosos, ex angusto in angustum desinentes, ad certam naturæ mensuram continuo pulsantes*, (7) *elastica vi, tunicaque multiplici præditos, & e cordis thalamo*

A 3

san-

(1) de humani corporis fabrica pag. m. 219.

(2) *περὶ ἐντασ παθῶν* II. 1. Item *περὶ ἀνατομῆς* I. 1. It. *περὶ Νέσων* I. 51. & alii in locis.

(3) *περὶ καρδίας* IX. It. *περὶ Φλεβῶν* X. 1.

(4) L. VI. de placitis philosophorum, ultimo, & II. Epid. circa fin.

(5) *Anatom.* pag. 646.

(6) *Spigel.* c. l. pag. m. 220.

(7) unde *venas micare* *Tullius* dicit L. II. de natura Deorum. Et *Ovidius* *cecinit* *Metam.* L. VI.

• Saliunt cœcata pollice Vena.

sanguinem spirituosum, fluidum, atque tenuem, ad omnes corporis partes deferentes, nullisque valvulis instructos. Unde simul satis superque, opinior, constabit, non modo venas vulgo sic dictas, requisitis hisce omnino carere; sed &, quod, quamvis alias & canalis, solum aerem coercens, & pulmonum cellulas adiens, non tantum proprio sibi *Tracheæ* nomine, verum *arteria* quoque, addito tamen distinctionis ergo epitheto *asperæ*, titulo insigniri soleat; & vas illud magnum, sanguinem e pulmonibus reducem excipiens, & in ventriculum sinistrum deducens, *arteria* insuper *venosa* nonnullis audiatur; nihilo tamen minus, neutra earum hunc in censum commode satis referri queat, cum hæc quidem nec suo, ceu proprio quodam pulset motu, nec sanguinem, quem vocant arteriosum purum secum vehat; (unde & ab iis qui emunctioris naris sunt anatomicis, *vena* potius *pulmonaris* vocatur.) Illa vero nil nisi aerem trahat, utraque autem & tunicis & structura arteriis plane sit dissimilis, adeoque a nobis hic non operose admodum examinanda.

§. III.

Ad ipsum potius properamus situm arteriarum, qui easdem modo musculis & visceribus profunde satis insitas, modo per superficiem partium reptantes, semper autem si non venis adjacentes, & maximam earum partem comitantes, nobis præbet conspicendas, in manifestum documentum ipso hoc posito, naturam benignam arteriis voluisse prospicere, ne tam facile lædantur, haud omnino ignaram, maioris momenti plerumque earum esse læsiones.

§. IV.

Situm arteriarum structura porro excipiat, quæ sicuti pro diverso considerandi modo, & externa vocari possit & interna; ita & quantum nostrum in præsentiarum spectat scopum

pum, eodem hoc ordine distinctius, curatiusque nobis erit inspicienda. Et illam quidem, primo quod attinet, structuram nempe arteriarum externam, veterum jam olim sagaciores (8) præter membranam communem quibusdam in locis easdem investientem, (9) *tribus tunicis*, quibus simul & a venis discernuntur constare exploraverunt, quorum tamen industriam, recentiorum oculatam vicisse diligentiam, *pluresque* detexisse tunicas gloriatur. (10) Harum *prima* & *extima*, propter vasculorum sanguiferorum copiam dicitur *vasculosa*. *Secunda*; quæ ab extremitatibus horum vasculorum oritur, nonnullis habetur *glandulosa*, (11) cui haud pauci *tertiam* adjungunt, quam vocant *cellulosam*, quæ oleoso humore repleta, & quod eodem, quo membrana adiposa in nonnullis corporis partibus, modo, est contexta, plurimum potest dilatari. (12) *Quartum* denique occupat locum *musculosa* eximio robore prædita, & duplici fibrarum serie, exteriori scilicet densiori fibras trahente annulares, (13) quarum etiam plura strata sibimetipsis incumbunt, maximamque tunicæ hujus partem constituunt; atque interiori, quæ ad longitudinem decurrit, & a fibris annularibus, earumque membrana

osiri

(8) *Gaien. VII. administrat. Anat. 5. Spiegel s. c. l. pag. 220. Hoffmanni Fund. Medic. pag. 22.*

(9) *de hac vide Bartholin. Anat. ref. pag. 650.*

(10) *quod Plempius primum observasse videtur Fund. Med. pag. 132. plenius tamen Morgagni adversar. anat. part. II. pag. 77.*

(11) *Lis de hac adhucdum est, ut patet ex Epistolis Ruyschii ad Boerhaviium, hujusque ad illum responsionibus de fabrica glandularum 1722. editas, in 4.*

(12) *Ruysch. Thesaur. Anat. VI. pag. 10. Manget. Theatr. Anat. L. 2. c. VII. pag. 92. Morgagni c. l.*

(13) *Arterias Herophilus dicebat, sextuplum venis esse crassiores, et sane Epiph. Ferdinando Theorem, Med. & Philos. pag. m. 104.*

oriri videtur tendinea. Ad internam vero arteriarum quod spectat structuram, præter *reticulum* internam earundem superficiem investiens, telisque aranearum haud dissimile, nil fere occurrit memoratu dignum, cum neque valvulae, præter illas, quæ in exortu arteriæ e corde sunt conspicuæ, semilunares, nullæ plane inveniantur; Neque omnino necessariae videntur, quod motus non solum systalticus & diastalticus, quem arteriæ cum corde habent communem ad sanguinem propellendum tunica muscosa, situque fibrarum diverso satis juvetur, sed & sanguinis ad cor regurgitatione per arteriam nihil omnino, ob continuatum motum constrictorium sit metuendum.

§. V.

Prætereo figuram arteriarum, quæ ad conicam fere formam plerumque accedere solet, & cum ab Augusto arteriæ potissimum terminentur ad angustum, eorum non minus, quam reliquorum vasorum sanguiferorum tubuli, nunc in obliquum, nunc in rectum, modo spirali ductu, hic in acutos, illic obtusos angulos, eleganter quod explicavit *Bidloo* (14) exporriguntur. Nec opus, arbitror, erit ut omnes earundem divaricationes perlustrentur, partim, quod innumerae fere illæ sint, partim quod eorum haud pauca ad argumenti nostri illustrationem parum omnino facere videantur. Sufficiat impræsentiarum, eas præcipue considerasse distributiones, quæ propius paululum nostrum attingunt scopum. Hoc vero eo clarius ut innotescat, radix præsertim earundem, ita si loqui liceat, curatius paulo nobis erit attendenda. Et hæc quidem est *arteria magna*, *aorta* etiam alias dicta, quæ e sinistro cordis thalamo egressa, primo quidem sursum vergit, mox

(14) *Dissertatione anatomico-physiolog. quarta, ejusdem Decadi secunda exercitacionem. anatomico-chirurgic. subnexa.*

mox vero pericardio perforato, in arcum curvatum rursus reflectitur deorsum; unde & nonnulli, parum abest, quin dicam plerique olim scriptores arteriam hanc magnam pinxerunt, in duos veluti truncos divisam. Ast cum post Lowerum tract. de corde, celeberrimus *Ruyschius* (15) hanc pingendi licentiam non immerito perstrinxerit, nos etiam a terminis istis lubentius abstinemus, cumque recentioribus anatomicis trunco descendenti titulum hunc haud quidem denegamus, ea vero quæ ad ascendentem olim retulerunt truncum, *ramorum* potius nomine, insignienda esse censemus. Hos vero inter, præcipue eminent *subclavia* duæ, *sinistra* altera, altera *dextra*, quarum illa, ad sinistrum latus obliquius paullo tendit, hæc vero, in altiori pedetentim loco oriens, dextrum petit brachium, multoque præcedenti ampliorem quærentibus ibi sese præbet conspiciendam. Ex his porro alii procedunt rami, carotides duæ, vertebrales, musculares colli, & quem præ reliquis (16) attendamus opus est *Axilliaris*, qui deinceps antequam ad brachium accedit, parte inferiori ramum denuo progerminat thoracicum & scapularem internum, parte vero superiori, humerarium & scapularem externum: ipsum autem simul ac attingit brachium, *brachialis* audit, & venam basilicam per inferiorem & exteriorem humeri partem comitatur, & ad flexuram cubiti plerumque indivisus una cum nervo brachii, quartum quem nonnulli censent pergens, cæteris sui ramis prospicit musculis vicinis. Hinc iterum finditur *brachia* novos duos in ramos, minores quidem, sat tamen insignes, quorum alter radio attentus, *Radialis* dicitur, tactuque in carpo exploratur, (17) alter vero *Cubitalis* vocatur, ul-

B

nam-

(15) *Epist. problemat. III. pag. 12.*

(16) *Fusus a Bartholino Anat. reform. pag. 652. explicatis.*

(17) *Nam lusus naturæ sunt rarissimi, si aliis in locis pulsans deprehendi*

namque recta percurrit, donec una cum illo congenere sibi, in manum internam, (externa enim supra metacarpum, ut musculis sic ut plurimum arteriis caret) digitosque dispergatur. (18)

§. VI.

Transeo ad *truncum arteriæ magnæ descendentem*, ab iis quos hætenus enumeravimus ramis in eo, uti supra jam inuimus, maxime diversum, quod, cum illi ascendant, hic potius retrorsum reflectatur. Magnus autem & amplius is est, ventrique non solum medio & infimo ramos, quos hic loci enumerare supervacaneum existimo, largitur, sed & ad sacri ossis initium, venam cavam cui hætenus subjecta fuerat, conscendit, hincque in duos ramos, *iliacos* quos vocant, dispescitur, quorum unusquisque totidem rursus progerminat, *interiorem* scilicet, & *exteriolem*. Sed cum ille vesicæ, intestino recto, & genitalibus tantum inserviat, hic saltem attendimus *exteriolem*, ex quo cum alii denuo nascuntur rami, tum præsertim, *cruralis* iste qui duplicem denuo gignit divaricationem, alteram minorem quæ externam femoris partem, ejusque musculos perforat, & prope genu cum ramulo hypogastricæ miscetur, unde tandem *Poplitea*, *Surales*, *Tibiales*, (19) aliique pedem extremum dividentes rami oriuntur. §. VII.

bendi possit, quale exemplum Bonetus affert Mercur. compitalit. L. 10. §. 53. de arteria Carpi in flexu cubiti pulsante, & Tulpius l. 3. obs. 45. Pechlinus l. 2. obs. 5. itemque Bohn. de offic. Medici pag. 117. de quadam, arteriam in Carpo adeo exilem habente, ut motus ejus vix deprehendi potuerit, aliam vero collocasse naturam in dorso manus ejusdem inter Pollicem & Indicem. Idem in Persona illustri notavit Dn. Præses.

(18) *Peculiaris non invenitur arteria tenuis ductus a Corde ad annullarem sinistram digitam, uti quidem Lemnius perhibet L. 2. de oculis nature mirac. c. 1. quo ligato in articulo digiti ejusdem, a paratu delassata animoque deficientes, erigi possint. Quod refellit Riclanus Anthropograph. L. V. c. 48. pag. m. 344.*

(19) *Ossis Tibiæ hæc insertam aliquando vidit Plempius Fund. Med. p. 132.*

§. VII.

Restaret denique usus arteriarum nobis explicandus; sed cum inter alios præsertim *Bartholinus*, (20) de isto uberius jam olim differuerit, ad illum potius, qui nosse cupiat, remittimus, haud immemores, non systema aliquod arteriarum nobis conscribendum, sed ea tantum in antecessum veluti paucis esse explicanda, quæ ad argumentum rectius intelligendum faciunt; pro instituti ratione, id unice repetentes, quod, cum sine arteriis, sanguis non solum non moveretur, & totum consequenter corpus nutrimento careret suo, verum calor quoque vitalis, tantum non omnino exstingueretur, satis jam inde superque patefcant, insignia illas omnino adferre commoda; quamvis cæteroquin easdem non omnes ad vitæ conservationem absolute semper esse necessarias, commodiori infra loco demonstrabimus.

§. VIII.

Arteriologia quantum quidem putavimus necessarium, hucusque enucleata, ad *artus*, citato nunc cursu progredientes, hoc nomine, paucis multa complectentes, indigitamus, extremitates istas superiores atque inferiores, quæ vulgo appellatione quadam generali, *brachia & pedes* audiunt, ab anatomicis autem, curatius ita evolvuntur, ut priores istæ sigillatim in *scapulam, claviculam, os humeri, cubitum seu ulnam, & manum extremam*; posteriores vero, in *femur, tibiam, ac pedem tandem extremum* rursus dividantur.

§. IX.

Ad extremum denique, superest vocabulum vulneris, quod, quamvis in ipso Dissertationis titulo primo. statim loco offenditur, nihilo tamen minus, in Onomatologias evolutione, agmen ut clauderet, haud forte intempestive hucusque

nobis est reservatum. Quanto autem gratior plerosque inter, deprehenditur consensus, quod vulnerum nomine tantum non semper intelligant solutiones continui, in partibus corporis mollioribus, utpote membranosis, glandulosis, carnosiss, & cartilaginosis, a causis quibuscunque externis & violentis modo secantibus, modo pungentibus, modo denique lacerantibus inductæ; tanto majorem deinceps, in statuenda earundem *Lethalitate* vel *Illethalitate*, animadvertimus diffusionem, præsertim quum eorum qui aliis vulnera curatius dignoscendi & Charybdin vitandi viam monstrare laboraverent, haud pauci in Scyllam, quod est in proverbio ipsi incidissent, nimiaque sua, & sæpius intempestiva in iis distinguendis curiositate, id demum effecerint, ut quod satis jam superque irretitum erat atque impeditum, magis adhuc implicarent, & tantum non omnino illaquearent, adeo ut merito attendenda sit justa celeberrimi *Bohnii* (21) querela: *Nec sufficienter, nec pro rei exigentia hanc de vulnerum renunciationibus doctrinam hæctenus fuisse excultam & traditam, & proin emendatione indigere.* Hic videas *lethalia vulnera* denuo distincta in *lethalia per se* & *per accidens*, illinc in necessario & ut plurimum *lethalia*; alii rursus peculiarem classem constituunt absolute *lethaliu*, alii ab hisce iterum secernenda esse censent simpliciter *lethalia*, alii aliam viam ingrediuntur, & innumera fere discrimina nobis obtrudere sunt conati quibus nunc supersedeo recensendis. Dicam potius de nimia hac curiositate generatim quid sentiam. Scilicet: Totum hoc negotiolum, si diligentius paulo pensito, in mentem mihi venit subvereri, ne, qui emunctioris sunt naris discrimina ista pleraque omnia, si non omnino ἀπροσδιόνυσα, saltem ὑποσολεία, vel certe in foro minus necessaria sint judicaturi,

cum

(21) de Renunciatione Vulnerum pag. 157.

cum viderint eadem, quando e schola medica in forum pro-
 grediundum inter litigantes æque fere supervacanea esse, ac
 sanos inter medicamina, legerintque relatum non juris solum
 interpretes eadem haud raro affici pœna jubere eum, qui vul-
 nus inflixerit absolute lethale, qua illum, quem vulnus infli-
 xisse ut plurimum lethale cognoverint, (22) tantumque non
 semper nudam plerumque lethalitatis aut illethalitatis vulne-
 ris assertionem ad facinus in percussorem vel lenius vel seve-
 rius vindicandum efflagitare; (23) sed & ipsos artis salutaris
 Doctores haud raro vulnera, quæ alias dicuntur ut plurimum
 lethalia admiscuisse, (24) suisque hinc exemplis prodidisse,
 plerasque omnes istas distinctiones, nec ubique observatas es-
 se, nec observatu adeo necessarias. Neque ab ea arbitror,
 sententia facile se dimoveri quis patietur, reliqua vulnerum
 discrimina æqua mentis lance perpendens; Suspicio potius ne
 plures adhuc, ad eandem proxime sint accessuri, cum expe-
 riundo cognoverint, quod, quamvis ex vulneribus duobus,
 natura sua lethalibus alterum altero citius mortem persæpe
 inferat, nihilo tamen scius utrumque mortis causa sit, utpo-
 te quæ ex ordine naturæ vitari haud potuisset, eamque ob cau-
 sam discrimen aliud vulnerum per se, & absolute, itemque
 ut plurimum, & per accidens lethalium, præsertim in foro
 nullam præstare queat utilitatem. Nec enim quicquam, quan-
 tum ego quidem conjicio, hic juvant exempla, albo ut fe-
 runt corvo rariora eorum, qui ejusmodi vulneribus faucia-
 ti, iisdem tamen ob singularem læsæ partis texturam, robur
 insolitum, aut divinum aliquod auxilium, id ipsum nempe

B 3

rò

(22) *vid. Zacch. Quest. Medico-Legal. Part. I. pag. 418. no. 5.*

(23) *Conf. Carpzovii Criminalem Praxin pag. 138. n. 43. seqq.*

(24) *v. Facult. Med. in Acad. Lips. Responsum apud Zittmannum Med. Forens. pag. 702.*

τὸ θεῖον Hippocrati dictum) præter omnem etiam sagaciorum opinionem, non interierunt, cujusmodi præter Galenum, (25) Theodoricum, (26) Rhodium, (27) Salmuthum, (28) Ido Wolfius, (29) Cabrolius, (30) Diemerbrock, (31) & Marcellus Donatus, (32) memoriæ prodiderunt; Partim quod humanarum haud est virum æqua felicitate ea imitari, quæ Deus & natura singulari & divina quadam virtute effecerunt: partim quod præsertim in vulneribus examinandis, tantum non semper ab illo, quod ut plurimum fit, non autem ab eo quod rarissime contingit, est concludendum. (33) Tandem me non perspicere ingenue fateor, quid commodi in foro afferat peculiaris illa vulnerum per accidens lethalium classis, nisi quod æque ac præcedentium plures, homicidarum defensoribus, maximam vitilitigandi præbeant occasionem. Equidem non latet, vul-

(25) ipse Galenus admirabile vocat & incredibile exemplum, quod de juvene quodam Smyrnensi refert, qui a vulnere, in anteriori altero ventriculo cerebri, solo Dei, (ex ipsius quidem testimonio) nutu sanatus est, Lib. 8. de usu part. c. 10.

(26) imprimis huc spectat historia memoratu prorsus digna, quam de cellario quodam narrat, qui licet ventriculus cerebri posterior, ex vulnere esset laceratus, nihilo tamen minus fuit restitutus L. 2. Chirurgia. c. 2.

(27) Observ. 33. Cent. 1. ubi inter alia, Joh. Veslingium, stili frustulum in cerebro muliercula per quinquennium relictum sine omni noxa, vidisse testatur.

(28) Cent. III. Obs. 38.

(29) Lib. 1. obs. 1.

(30) Obs. 22. & 29.

(31) Obserq. 42.

(32) De medica historia mirabili Lib. IV.

(33) Conf. Bohnius de officio medici pag. 615. ubi Facultatis Medicæ Lipsiensis Responsum deprehenditur, quod sententiam nostram non partem confirmare videtur.

vulnera etiam levissima, mortem aliquando attulisse, quod *Hildanus*, (34) *Guil. Muis*, (35) *Bartholinus*, (36) *Horat. Augustinus*, (37) *H. ab. Heer*, (38) *Zachias*, (39) *Camerarius*, (40) alii- que, jam olim annotarunt. Attamen nec illud nos præterit, quod ex sententia *Fort. Fidelis*, (41) Judices eum, qui ob ejus- modi vulneris percussione in jus fuerit vocatus, non de occiso, sed tantum de vulnere soleant punire, hincque satius arbitramur, si ab hoc æque ac cæteris vulnerum discrimini- bus in foro omnino absteineatur, ac vulnus generatim aut le- thale renunciatur aut non lethale. Sive ut ex sanioribus prin- cipiis anatomicis, medicis & chirurgicis sufficiens perhibeatur testimonium an vulnus inflictum natura sua mortem intule- rit, an vero minus, prout scilicet partes ad vitæ conservati- onem necessariæ, læsæ conspiciuntur aut non læsæ.

§. X.

Quodsi autem speciatim ad *vulnera arteriarum in artubus*, ea quæ hætenus fuerunt allata applicemus, tantum abest ut
ista

(34) *Operum pag. 820. ubi mentio injicitur vulneris levis, supra ge- nu, leipothymiam & mortem inducentis, adde ejusd. Observ. Cent. V. obs. 1. pag. 383. ubi exemplum Celeberrimi A. Spigelii, legas, factis ex vulnere functi, quod licet ex vitro tantum fracto, primum digito fuerit inflictum, mortem tamen postea sauciato intulit.*

(35) *Prax. Medico-Chirurg. rational. Dec. VII. obs. 6. exiguum cruris vulnus, lethiferum tamen affert.*

(36) *qui vulnere in digitis lethalium rariora exempla notavit, Hist. Anat. Cent. IV. obs. 89.*

(37) *Lib. 9. Epist. 2. quo loco, quendam punctura acus, inter carnem & unguem pollicis extinctum memorat.*

(38) *Observat. Med. rarar. 12. pag. 160. seq.*

(39) *Quest. Medico Leg. Part. 1. pag. 414.*

(40) *Sylloge Memorabil. Medic. Cent. 10. parte 39.*

(41) *de Relationibus Medicorum Cap. 7. L. IV. pag. 558.*

ista uno veluti agmine classi vulnerum lethalium adscribenda putemus, ut potius cautione hic opus esse videatur non sane superficialia. Ad ea enim quod attinet vulnera, quæ in arteriis contingunt, vel axillaribus, ita ut ramus axillaris mox circa axillam vel sub eadem, aut prope ipsius a thorace exitum, fuerit læsus; vel in iliaticis haud longe a trunco corporis, vel denique in cruralibus; ipsa dudum docuit experientia, homini ejusmodi vulnere percusso, tantum non semper, ante, quam auxilium ipsi queat afferri, esse moriendum, partim quia situs incommodus neque vinculum, neque torcular, neque sectionem, aut suturam, neque cauterium, neque alia denique styptica admittit; partim quoque quod ipsa arteriarum magnitudo iis in locis sanguinem tam subdito plerumque propulsat, ut priusquam chirurgus accersi queat, aura cum sanguine effluat. (42) Ast, longe aliter comparatum est, cum cæteris vulneribus arteriarum brachialium, cubitarum & radiarum, cruralium externarum, suralium, tibialium, & illarum quæ manus & pedes pervagantur. Quanquam enim & hæc haud raro mortem attulerunt, quod plurima fatalia testantur exempla vulnerum brachiorum scilicet a *Valentino*, (43)

&

(42) *Exempla talium vulnerum axillarium vid. ap. Bohnum de Renunciatione Vulnerum pag. 21. & seqq. Valentini Pandectarum Medico-Legalium Part. II pag. 519. seq. & Welschium rationali vulnerum pag. 132. sq. Iliacorum iterum apud Bohnum & Welschium locis citatis, & Zittmannum Medicina Forensis pag. 158. Ammannum Praxi vulnerum lethalium pag. 50. & 163. Valentini loc. cit. pag. 497. & 499. Cruralium apud Ammannum cit. loc. pag. 43. & 154. seqq. Zittmannum loc. cit. pag. 250. itemque pag. 879. aliosque.*

(43) *Pandect. Medico Legal. Part. II. pag. 478. sqq. ubi historia traditur de vulnere supra cubitum sinistrum in parte brachii externa, prope ulnam per musculos, nervos, venas & arterias penetrante, quod*

& Zittmanno, (44) crurum & pedum ab Ammanno, (45) & Zittmanno, (46) & tibialium atque furalium, a Valentino, (47) atque Foresto, (48) allata, exinde tamen id tantum consequi videtur, quod vulnera hæc pleraque sint funesta, non autem quod ideo ex eorum quæ Illethalia vocantur, numero eximenda. Nec enim peritissimorum solum medicorum testimonia uno veluti ore, id probant, quando cum alia hujusmodi, tum præsertim ea, quæ modo citavimus vulnerum

C

exem-

quod homini eodem percusso mortem attulit. Idem fatum mansit alterum quendam, quem vulnus in brachio dextro ad distantiam pollicis transversæ circiter supra flexuram cubiti, oblique deorsum versus sic satis profundum & transverse manus longitudinem æquans, unde præter musculos omnes, vena basilica, una cum arteria illi juncta per transversum dissecta fuerunt, intra parvum temporis spatium iisdem abstulisse, narratur Valentino cit. loc. pag. 484. seqq.

(44) Medic. forens. pag. 16. seqq. ubi exemplum traditur Vulneris, quod eventus prodidit fatalis, prope processum ossis cubiti, flexuram cubiti ad os humeri usque penetrantis, & sub tendine musculi bicipitis egredientis, cum laceratione Arteriarum & venarum conjuncti. Parallelum fere aliud est exemplum quod idem refert l. c. pag. 1489. de nonnemine qui vulnere in medio flexura cubitus, quo mediana & Basilica vena cum ramo arteriæ axillaris, i. e. Brachiali, intra paucarum horarum spatium fuit demortuus. Adde cit. l. pag. 1292. aliud adjudicatur vulnus, letho quod viam aperiat, cum in punctura cubiti & ossis humeri per spithamæ longitudinem, unguis autem latitudinem arteriæ brachialis eodem esset delacerata. Itemque paginam 1067. seqq. quo loco arteriæ cubitæ ad carpum ictu discisse, simile tragicum exemplum describitur.

(45) Memoria is prodidit historiam vulneris supra genu, in parte femoris interna, & alius in sura, quod utrumque hominem eodem læsum abstulit, Med. Crit. pag. 120.

(46) loc. cit. pag. 1265.

(47) loc. cit. pag. 508. seqq.

(48) Observat. chirurg. Lib. VI. obs. 36.

exempla, non obstante, quod mors sit infecuta, ita semper
dijudicaverunt, ut illethalibus sint annumeratae, quippe quae,
ex sua quidem natura non necessario mortem intulerint, sed
tantum eandem vel ob aegroti incuriam, vel Chirurgi igno-
rantiam, vel ipsius denique medici si forsan in auxilium is fue-
rit vocatus, negligentiam post se traxerint, non secus ac hoc
axioma ad illud eruralium & iliacor vulnus adplicari poterit.
quod affert Bohmius in Exam. vuln. lethal. p. 35. Verum ipsa
quoque experientia dudum demonstravit, idem vulnus quod
in hoc vel illo mors forsan est subsecuta in altero fuisse sana-
tum, cujusmodi sunt exempla, praeter alia, apud *Forestum* (49)
& *G. Muys* (50) quae extant, quibus inpraesentiarum recentius
illud addere licebit, quod Magnifico Domino PRÆSIDI, an-
no superiori obtigit, in L. B. ab A. „qui ense in cubiti sinistri in-
„terna parte ingredeunte, & sub flexura foris iterum egre-
„deunte, post tres a laesione septimanas, gravissima corripie-
„batur haemorrhagia, toties totiesque redeunte ut de brachii
„exstirpatione nonnulli cogitarent, nullumque aliud super-
„esse remedium censerent, nihilo tamen minus, temporis di-
„uturnitate,“ non sine frequentissima sanguinis profusione,
summaque virium prostratione, tandem est restitutus. Huc
porro accedit quod nec vulnera haec tantum facile temporis
denegare soleant, quantum requiritur, ad remedia maxime
necessaria iisdem applicanda, nec situs ipsorum, communi-
ter quidem nimis pertinaciter medelam recusare consueverit,
partim, quia illae quibus talia inflicta sunt vulnera, Arteriae,
non solum non profunde admodum jacent, partim quia ea-
dem, aequae ac artus quibuscum conjunctae sunt, a corporis
trunco paulo deprehenduntur remotiores, & consequenter,
ne-

(49) *supra cit. l.*

(50) *supra cit. l. Dec. V. obs. 4.*

neque hæmorrhagiam adeo periculosam producunt, neque cum reliquis partibus nobilioribus, tanti qui sit momenti, consensum agnoscunt; partim quia ipsum vulnus sine magno periculo potest dilatari, idonea ut instituat operatio. Et tandem illethalitas horum vulnerum luce meridiana clarius, exinde patescit, quod membra iis læsa, sine insigni vitæ periculo tempestive liceat extirpare. Cum enim eæ solum arteriæ, quæ nobilem aliquam corporis partem adeunt, v. g. Cerebrum, Pulmones, Jecur, Renes, &c. nutritioni quoque hujus simul quod antea jam quodammodo monitum est inserviunt, ita, ut sine ipsis œconomia animalis subsistere haud queat, ideoque ad vitam omnino sunt necessariae sed & majores istæ, intra corpus aut grandiores earum propagines, iliacæ puta & axillares receptaculo sunt sanguini, quem meliorem vita thesaurum *Galenus* (51) vocat, de quo, natura maxime sit sollicita, quique si profundatur totus, id quod cæso tali receptaculo necessario accidit, animæ effluendi præbet occasionem: Illæ contra arteriæ in artubus quas supra non lethales diximus, v. g. in cruribus, & Brachiis, officio istiusmodi non funguntur, sed nutriunt solum has partes, adeoque etiam opus si fuerit, queunt amputari, quia artubus carere quis potest, tanquam iis membris, quæ tantum ad vitam commodus transigendam non autem ad eandem omnino conseruandam sunt necessaria, quod tot exempla quotidie obvia, hominum artubus aut chirurgica manu, aut in fortu-
nio aliquo truncatorum, abunde confirmant.

§. XI.

Eum autem hic excipiendum esse casum, non ambabus solum largimur manibus, sed & ipsi serio defendimus, quando scilicet arteria per longitudinem sub musculis est fissâ aut

C 2

di-

(51) de vivorum anatome cap. 1.

discissa, ita, ut læsionis indolem curate dignoscere & hario-
lare haud liceat, nedum congrua eidem opponere remedia;
cujusmodi vulneris exemplum non olim solum attulit *Bob-*
niss, (52) sed & ipse Dominus Præses 40 circiter abhinc annis
aliud illi non prorsus dissimile cassellis præsens vidit, puero
nobili a commolitione flexuræ cubiti dextri punctim inflictum,
gladio sub integumentis versus superiora progrediente, ubi
sanguinis fluxus primis quidem 10 diebus fuit cohibitus, po-
stea vero, per vices suborta Hæmorrhagia grauiissima, vita
cum anima purpurea est effusa: Causam vero flebilis huius
eventus sectio detexit deinceps instituta, arteriam nempe
brachialem secundum longitudinem ad 4 vel 5 pollices supe-
riora versus fissam, & vulnus illud propter hanc circumstan-
tiam non minus, quam alia hujusmodi generis plura, letha-
libus fuisse adscribendum, commonstravit.

§. XII.

Signa, quibus cæsa arteria dignoscitur, nunc sunt enume-
randa; quorum, ut illud taceamus, quod e situs notitia ana-
tomica repetendum, præcipuum est sanguis calidior, magis
rubicundus & clarus, repetitis subsultibus profiliens, non au-
tem venosus ille, uno neque intermisso radio prodiens. Do-
cente enim avicenna 53 sanguis arterialis egreditur primum
„cum saltu & impetu in dilatatione arteriæ, e contra in con-
strictione sanguis retrahitur: Venarum autem sanguis æqua-
liter exit. Præterea signa raro occurrunt evidentiora.

§. XIII.

Hinc pergimus ad ipsam medelam, de commoda solli-
citi ratione, qua vulnerum talium, tristissimi alias eventus
haud infeliciter poterint evitari. Cum autem inprimis Hæ-
mor-

(52) *l. c. & exam. vuln. lethal. pag. 36.*

(53) *IVta quarti Tractatus 2. Cap. 16.*

morrhagia hic sese prodere soleat, quæ, vti semper metuen-
da cum haud raro, maturius nisi sistatur, præter omnem et-
iam opinionem, necem attulerit, quod vel unicum illud
comprobat exemplum a Gasparo adductum, (54) de sanguine
ex dente evulso adeo rapide effuso, ut mors fuerit insecuta,
ita præsertim in iis, de quibus hic nobis sermo est, vulneri-
bus eo periculosior merito censetur, quo maiores plerum-
que læsæ sunt in artubus arteriæ, & tristiora nonnunquam
symptomata eandem quæ comitantur, adeo, ut effluente
pedetentim sanguine syncope, Deliria, convulsiones, sin-
gultus aliique mortis instantis, ex mente *Hippocratis* nostri, (55)
prodromi sæpe oriantur; primam statim prudentiores eo
intenderunt curam, ut varia in promptu essent remedia, qui-
bus a chirurgo rite & promte applicatis, tanto, tamque inimi-
co malo haud irritò semper conatu occurratur.

§. XIV.

Eum in finem principio quidem dispicere iubent, an Hæ-
morrhagia tantum sit mediocris, an vero enormis valde. Illa
si fuerit, linteo carpto (*Charpie* galli vocant) & postea con-
torto (quod *plumaceaux* iisdem audit,) aut segmentis lintea-
minum (*leinen Lappgen*) vulnere injectis interdum se patitur
reprimi, præsertim si præterea externe quoque, idem vulnus
fasciis firmiter fuerit ligatum & manibus aliquantisper com-
pressum, adeo, ut non modo *Sam. Formius* solis sese fasciis
& linteis Hæmorrhagiam e vulnere brachii orientem stitisse
fuerit testatus, (56) sed & *Cl. Heisterus* haud ita pridem anno-
taverit præter compressionem in Hæmorrhagia sistenda per-
sæpe nulla alia requiri remedia. (57)

§. XV.

(54) *Obs.* 22.

(55) *Sec.* V. *Aphor.* 3.

(56) *Obs.* 1.

(57) *Chirurg.* p. 55. §. 3.

§. XV.

Præterea recentiores potissimum peculiare invenere instrumentum cum omnibus vasis, tum arteriarum læsionibus in capite etiam & collo idoneum, quod depictum apud *Heisterum*, (58) constat ex orichalci lamina palmum lata, quam trochlea, inferius laminula munita, perforat, quae vulneri, linteis carptis imbuto, & splenis tecto, adaptata, firmiter adigitur, donec tota machina loris parti subjectis firmetur; deinceps vero, cohibita sic Hæmorrhagia, per 24 horas, aut ita si visum fuerit, etiam plures immotum illud manet Instrumentum, nisi quod nunquam, prouti res quidem postulat, magis adigatur.

§. XVI.

Quamvis autem commodius longe hoc est instrumentum quam annulus ille ferreus, quo olim usi sunt, cum hic nullibi nisi pedibus aut brachiis, istud autem jamjam recensitum Instrumentum generatim in capite etiam & colloqueat applicari; Nihilo tamen minus alii idem aliud adhuc superaddiderunt, quod galli tourniquet dicunt, nec una eademque semper facie conspicitur. Alii in eo conficiendo utuntur validiori duarum circiter ulnarum loro, quod membro vulnerato circumjectum, mediante bacillo ligneo, cui extremitates lori sunt alligatæ, circumagitur, donec angustius factum, arteriam adeo fortiter comprimat, ut ne ulla quidem guttula effluere possit. Alii vero aliam hic ingrediuntur viam, in eo potissimum a priori ista diversa, quod cum illi unum, hi duos adhibeant bacillos: Utrique autem uno veluti ore præcipuunt, ut membrum eo in loco, ubi instrumentum hoc applicandum, prius circulari fascia involvatur, &

ubi

ubi gyros agitur, charta spissa aut corium supponatur, ne scilicet cutis ista lædatur constrictione, uti pluribus videre est apud *Heisterum* (59) & *Solingen*, (60) qui instrumentum hoc æri incisum quærentibus præbent conspiciendum.

§. XVII.

Recentissimum instrumentum, Hæmorrhagia qua sistatur, est illud gallis præsertim solemne, quando scilicet torcular conficiunt, quod ex arcu constat ferreo, figura sua literam C. æmulante, cujus alteri extremitati bractea pollicis magnitudinem æquans, aut nonnunquam forte excedens, immobilis, alteri vero perforatæ valida applicata est trochlea quæ in apice itidem bractea munita, arteriæ imponitur, adeoque sese patitur adigi, ut membrum læsum mediantibus hisce bracteis ab utraque parte pro lubitu vel in ipso læsionis loco, vel supra illum, non sine successu comprimi possit, dummodo ea non negligatur cantela, ne forte compressione nimis violenter facta, partes subjectæ sphacelo corripiantur.

§. XVIII.

Quamvis autem inprimis ultimum hoc instrumentum suo haud careat fructu tempestive riteque adhibitum: Tantum tamen abest, eidem ut soli sit confidendum, ut potius a Medico chirurgo, si id, quod suarum est partium, juste absolvere annitetur, ulterius adhuc requiratur, ne & alia, quibus Hæmorrhagiam compescat, ipsi desint remedia. Et hic in ipso statim initio maximopere a nonnullis commendantur exsiccantia, hæcque inter figillatim fungus ille chirurgorum, bovista & crepitus lupi alias dictus, spongia marina aliquo-

ties

(59) *l.c.* T. III. fol.

(60) *Lib. cit.* p. 265. Tab. 10. fig. 14. 31. 36. 38.

ties decocta & exsiccata, tomenta plantarum, ut cydoniorum, seminis carduorum, salicis, cannabis & illa, quæ intra vestium obsoletarum futuras sunt reperiunda: item pili leporini, minutim concisi, ranæ aquatiles (61) præparatæ, reticulum vitulinum, lintea combusta &c. Aliis hic placent glutinantia, qualia sunt: Gluten commune sive solutum, sive in pulverem redactum, albumen ovi, sanguis ipse torrefactus, thus, mastyx, quibus haud pauci addunt gypsum calcinatum & ejusdem generis alia. Extollunt alii adstringentia & inter ea quidam ☉ calcinatum, terram dulcem vitrioli, pulverem sympatheticum, alumem, bolos, sanguinem draconis, pulverem gallarum, & hæmatitidem, quidam vero iisdem in liquida plerumque fama utuntur eo melius ut queat applicari, quorsum pertinent liquores styptici lemery item alius Weberi ex vitriolo & Alumine compositus, nec non alter liquor galli illius duvivient, qui l' eau des arquebusades vulgo vocatur, & valde celebratur, adeo ut secretum ejus præparandi modum, magnæ Britannia regem 5000 imperialibus sibi comparasse ferant. Acidis austeris delectatur Solingen, (62) imprimis charta, ☉ ☉ imbuta & iterum siccata, quam instar turundæ vulneri applicare jubet & maximopere laudat, præsertim, ubi arteria ob vulneris profunditatem attingi non possit. Nonnulli alcalia adhibent lixiviosa, ut sunt lixivium saponariorum, aut fellis vitri, cui plumaccolas immittunt, easque siccatas in commodum sibi servant usum. Haud pauci, inprimis in gallia aquam colaudant stypticam ex limatura ꝑtis & ☉ ☉ li confectam,

cu-

(61) *Speciatim hæc commendat Hildanus Cent. 3. Obs. 82. rejicit autem easdem Solingen v. 252. l. c. & Pulos Leporinos, non incidendos, sed in turundarum formam vult esse adhibendos.*

(62) *l. c. p. 390. sqq.*

cujus descriptionem quoque dedit *Solingen*, (63) qui & valde admodum commendat pulverum istum. (64)

℞ Gallar immatur.

Farin. volat. præsertim avenæ aa. ℥i.

⊕ cypr. ℥ij.

Gumm. Tragac. pulv. ℥ij. Mist. f. pulv.

Nec defuisse qui muscum sambucinum probarunt, vulneri usquedum palleceret, imponendum testatur *Forestus*, (65) qui pulveris quoque meminit e didymis & vasis spermaticis vituli combustis, quo judæi in recutitione uti dicuntur, & ipse Gal- las collaudat ignitas & exsiccatas; Ut taceam terram Japoni- cam, crocum martis adstringentem, Alum. Cort. Granat. Sacch. saturni, hepar vituli arefactum, quæ teste sæpius lau- dato nostro *Heistero*, (66) non raro in usum trahuntur, & sex- centa alia hujusmodi remedia scriptoribus passim, singulari nec sine laude, commemorata.

§. XIX.

Quamvis autem minime gentium id mihi sumo, ut vel de omnibus hisce remediis judicium ferrem forte intempesti- vum; Tantum tamen abest, ut utramque eadem hic semper impleant paginam, ut potius haud pauca sæpius sperato desti- tuantur effectu; tum, quod non raro ob vulneris angustiam in sicca, quam vocant, forma, cum fructu adhiberi nequeant; tum quoque, quod ægre plerumque a vulnere divellantur, aut si sponte decidant, sanguis ne denuo prorumpat, non satis pro- hibeant; tum præsertim denique, quod cum cæteris stypti- cis acrioribus id commune tantum non omnia habeant in-

D

com-

(63) l. c. p. 391.

(64) l. c. p. 253.

(65) *Obs. Chir. L. VI. p. 64. Obs. 36.*

(66) *Chirurg. p. 56.*

commodum, ut in orificio vulneris sæpius sanguinem ita coagulent, ut externe quidem Hæmorragia videatur sublata, interne autem nihilo fecius, vulnere arteriæ non occluso, sanguis, denegato sibi libero exitu, in musculorum & tendinum interstitiis latibula quærat, & stagnatione sua deinceps febres, spasmos, aliaque dira pro re nata symptomata excitat, quorum tristitia commemorarunt exempla *Zittmannus*, (67) *Ammannus*, (68) *Borrichius*, (69) aliique.

§. XX.

Hinc alii aliam ingrediendam esse viam, remediaque exquirenda suspicati sunt, quibus sanguis coerceretur feliciter adhuc & compesceretur. Præstantissima autem hac inter merito judicata fuerunt oleum therebinthinæ & spiritus vini alcoholifatus, (70) quorum præsertim ultimum a *Celeb. Bohmio* primum huic negotio adhibitum, (71) majores semper exserit vires, si cum therebinthina, resina elemi & mastiche fuerit digestum. Mittimus aquæ fontanæ usum, cujus vires quidem in *Act. Hassniens.* (72) valde celebrantur, ita tamen, ut simul appareat, effectum ejusdem non semper æque fuisse felicem. Neque attingimus experimentum quod a *Camerrario* (73) repetitum, quod membrorum amputatorum sanguinem sistere, testatur, eadem si pullo gallinaceo vivo, ea, aperto fuerint intrusa: Neque opii denique usum externum pluribus hic investigabimus, quamvis a *G. Horstio* (74) val-

(67) *Medicin. Forens.* p. 462.

(68) *Prax. Vuln. Leth.* p. 248.

(69) *Act. Hassn. Ann.* 1674. p. 78.

(70) *Conf. hic omnino iterum Heisterus l. 1. p. 56.*

(71) *Vid. Act. Erudit. Lips. Ann.* 1683. m. April. p. 153. seqq.

(72) *Vol. II. p. 3. seqq.*

(73) *Syll. memor. Medic. Cent. 4. part. 28.*

(74) *Lib. 9. Obs. 12.*

valde olim commendatum; sed tribus tantum, quod ajunt, verbis recordamur *liquoris nostri vegetabilis*, blande aciduli & balsamici, qui simplici methodo e paucis herbis paratus, tam interne quam externe egregie vires suas exferit & sanguinem certo sistit, plus simplici quod ipse vice sum expertus.

§. XXI.

Quemadmodum autem supra jam innuimus, enormes quandoque accidere Hæmorrhagias, ad quas compescendas cuncta fere quæ vocant styptica vix ac ne vix quidem suffi-
cunt, præsertim cum vasa majora fuerint læsa, ita nunc porro nobis est circumspiciendum, quomodo in talibus, si forte obvenerint, casibus caute sit progrediendum. Quamvis au-
tem non pauci hic suadeant autores, corrosiva ut adhibean-
tur remedia, inter quæ inprimis laudari solet ꝑrius sublima-
tus, lapis causticus quem alias infernalem vocant, & ⊕, præ-
sertim cyprium, globuli instar formandum & postea apertu-
turæ arteriæ, antequam fasciis illa constringatur imponen-
dum, aut quod *Solingen* (75) magis placet, ☉ vitrioli: Nihi-
lo tamen minus quum jam *Kerckringius* (76) noxæ lethalis ex
usu ejusdem in vulneribus, exemplum attulerit, satius non
immerito videtur cauteria potius actualia præsertim si pe-
riculum fuerit in mora adhibere, quæ non escharæ mo-
do vulnus claudunt, & sanguinis fluxum citius compe-
scunt, verum omnibus quoque, externarum partium vul-
neribus tantum non semper optime conveniunt. Insti-
tuuntur vero ista ferro candente, pro lubitu cujusvis, & ra-
tione vulneris, varie efformato; eo ut arteria tangatur. (77)

D 2

Ubi

(75) *Chirurg. Werken.*

(76) *Spici legium Anatomicum* Obj. 58.

(77) *Figuras si inspicere lubet, evolvas Sculteri Armamentarium Chirurg. Soling. Wercken pag. 267. Tab. II. Heister. Chirurg. Tab. 3. f. 8-15*

Ubi tamen imprimis haud negligendum est: optimum *Heisteri* nostri consilium, (78) duo in operatione hac, ut in promptu sint cauteria, ne ipsa forsan remoretur, alterum si fortasse sanguis exstinguat. Præterea caute omnino hic erit mercandum, ne in religatione crusta ex ustione orta avellatur, hincque Hæmorrhagia revertatur, sed ipsa potius justo tempore sponte decidat. (79)

§. XXII.

Quodsi autem contigerit ut arteria transversim secta fuerit, ita ut eadem simul plane abscissa, dummodo sanguis remediis sisti poterit supra adductis, arteria sponte intra musculos retracta vi quadam naturæ, globulo quasi & fibris occluditur. Transversim vero si saltem incisa, eadem ut omnino discindatur, opus, (80) (præsertim in læsionibus tiliarum & cubitorum) ut ea ratione multo facilius occludatur, quod ut commodius fiat, vulnus si forsan nimis quandoque arctum fuerit, dilatandum forcice incurvo ne scilicet partes substratæ & arteria jamjam læsa amplius adhuc lædatur.

§. XXIII.

Verum longe alia ratio est ineunda, si per longitudinem vulnus fuerit inflitum, nec ullo modo sanguis sese reprimi patiatur, ita ut nulla mora interjecta; Operatio aneurysmati conveniens instituat, quam etiam exemplo adducto, comprobatur *Bohnius*. (81) Et primo quidem opus est, quidam ut minister membrum læsum, sive pes sit sive manus, arripiat, arreptumpue firmiter teneat. Huic adjun-

ga-

(78) *l. c. pag. 56. sq.*

(79) *Idem l. c. pag. 57.*

(80) *Solinus c. l. pag. 390. Galenus l. 6. Therap. cogimur non modo Arterias sed etiam venas totas præcidere, utique transversas.*

(81) *Exam. vuln. leth. p. 36. sq.*

gatur & alter, cui torcularis custodia demandetur, ut jussu artificis, vel relaxet illud vel coarctet: porro arteria torculari eo usque est comprimenda, ut ne guttula quidem sanguinis ulterius prorumpat: decisis deinceps integumentis & musculis circumjacentibus, ipsa arteria denudanda, cruor illi inhærens abstergendus, & vitrioli frustulum, gossypio aut linteo carpto involutum apertura ejusdem est intrudendum. Postea splenia parva ipsi applicanda, his superimponenda charta dentibus masticata, & linteum carptum, aut crepitus lupi. Coronidis denique loco superaddendum emplastrum, in quatuor potissimum partes, ramorum instar divisum, cui splenium & fascia duplex, longior, adaptetur, incipiendo a parte membri inferiori, versus superiora. Hisce peractis si sanguis non erumpat, cuncta jam sunt absoluta, sin minus, alia denuo via erit procedendum, & arteria acu obtusa, & curva suffodenda, (caute tamen ne nervus lædatur,) filoque trajecto liganda, ita tamen ut arteria maneat imperforata, quod dein filum quatuor digitorum latitudine e vulnere propendeat, necesse est, sponte donec sua decidat. Ita operatione hac peracta, nonnulli membrum læsum, linteo, oxycrato imbuto involvunt, quod cholericis maxime conducit, illudque elevatori aliquantulum situ collocare, & per aliquod dies fascias non removere jubent. (82)

§. XXIV.

Nec remedia inter exteriora prorsus negligenda venæ sectio, revulsiois ergo ex latere opposito instituenda. Quamvis autem illud promiscue admittere haud pauci merito dissuadeant, attamen si æger phletoricus, fuerit, illam aut omnino non negligendam, aut saltem hæmorrhagiam ninis cito non reprimendam esse censemus.

D 3

6. XXV.

§. XXV.

Et hæc quidem præcipua sunt præsidia quæ a chirurgis vulgo adhiberi solent. Sequantur illa jamjam interna, præcipue ea quæ orgasmum sanguinis, experientia teste temperant. Hæc autem inter præ reliquis sese commendat nitrum, absorbentibus, itemque cinabarinis, mixtum, quod egregium sæpius produxit effectum. Formulam si desideres, hanc habe, ex mente Celeb. *Stahlii* præscriptam:

℞ ⊕ præcipitat

Corall. rubr. ppt.

Lap. cancr. acido citri saturat. ana ℥j.

Cinab. nat. opt. ppt. ℥j.

M. f. pulvis cujus ℥j. detur sæpius.

Nec utilitatem affert omnino nullam lapis Hæmatites, qui cum adstringente blanda vi, balsamici quid sibi habet conjunctum. Aut si mavis:

℞ Lap. prunell. ℥j.

⊕ ♂tis ℥℥.

M. f. pulvis, in tres partes

divisus, quavis adhibeatur hora, aut citius.

His si nihil effeceris, moderate sistentia, v. gr. Liquor noster stypticus vegetabilis supra adductus, ad cochlear circiter j. vel ij. repetitis vicibus datus, & anodino-sedativa in usum sunt vocada, quorsum sequentem præscribimus formulam:

℞ ∇ plantag. ℥ij.

Rosar. ℥j.

Sangu. Dracon. ℥ss.

Spec. de Hyac. ℥j.

Lap. prunell. ℥ij.

Laud. opiat. aut Mp. de Cynoglos. gr. iij.

Sacch. perlat. q. s. ad grat. sapor. M.

Non est quod pluribus formulis chartam impleamus; sufficiat

ciat monuisse, & adstringentia fortiora, urgente tamen summa necessitate, posse propinari, inprimis TR. \oplus li a plurimis commendatam, ut taceam analeptica, cordialia, & emulsiva ad reficiendum ægrum opportuna, cum formulas eorum quivis cordatus Medicus conscribere, pro re nata satis superque sciat.

§. XXVI.

Ultimum tandem refugium, cœtera si incassum fuerint tentata, consistit in amputatione ejus, quod læsum fuerit, membri. Raro autem ista his in casibus institui solet, cum quod ægris nimis plerumque videatur crudelis, tum quod ad extremam necessitatem usque plerumque differatur, ubi per repetitum sanguinis profluvium Vires jam fuerint exhaustæ: Rarius eventum producit speratum, & saucitati ad æterna uno plerumque membro truncati emigrant, cum tamen, si amputatio tempestive, in auxilium vocaretur, haud pauci servarentur. Neutiquam hocce consilium de amputatione femoris aut humeri interpretari volumus, utpote quorum extirpatinam tentare, non rationem, sed audaciam
saperet.

S. D. G.



Inge-

Ingenii vires docto certamine pandis,
 KRYSING qua propter præmia digna feres:
 Accipe nunc lætus quos dat Tibi Phœbus honores
 Queis bene promeritos condecorare solet.

*Hisce paucis Nobilissimo & Doctissimo
 Domino KRYSINGIO, Amico estu-
 matissimo de Lauro Doctorali gra-
 tulatur*

JOH. HENR. de SPREKELSEN,
 J. U. L.

Non plane tegitur virtus caliginis umbra,
 Ardua sed victrix vincere cuncta studet.
 Hujusce ad laudes, KRYSINGI! niteris amplas,
 Artibus hinc redeunt ampla brabæa tuis.

*Paucis hisce Συγχαρίας καὶ Φιλοχρη-
 σύνης ἕνεκα Affini, summos in Me-
 dicina honores capessenti, estima-
 tissimo, & Amico inter paucos le-
 ctissimo, prospera omnia apprecans,
 applaudere voluit,*

H. C. BRAND,
 P. & P. N.

Quando purpureus tenebrosa nocte fugata
Phœbus quadrijugo provocat axe diem;
Igneus ac alto Titan cum currit olympo;
Umbra Incedentis tunc solet esse comes:
Illos sic etiam comitatur fama perennis,
Illorumque caput splendidus ornat honor:
Qui studiis animum coluerunt, quosque bibisse
Fontis Castalidum dulcia vina juvit.
Multas a teneris curas multosque labores
Impiger hausisti, SUAVIS AMICE! graves.
Scilicet obscuras tenebras devincere posse
Mentis, non parvæ sedulitatis opus.
Nec parvum studium, studiis rebusque Minervæ
Tempora cum fructu cuncta vovere sua.
Harum sed rerum miram TIBI cura pararunt
Anxia notitiam, continuusque labor.
Hoc igitur merito dicaris dignus honore,
Qui TIBI quæsitus conspicuusque datur.
Quin sane meritis decus hoc es nobile, clarum:
Atque quod imponitur NOMEN AMICE TIBI,
Hinc quoque certatim geminatis plausibus edit
Docta Camœnarum gaudia magna cohors.
Et mea præterea lætans a Numine Summo,
Exoptare TIBI paucula Musa cupit:

Virtus perpetuo celebretur laude superba,
 Quam DOCTOS hodie posse videre finis,
 Nec cadat ex animis humanis inelyta famæ
 Gloria, sed vigeat non peritura TUÆ.

*Paucis hisce Amico ob arctæ consanguini-
 tatis nexum desideratissimo, cum pro
 summo in Medica facultate honore ob-
 tinendo disputaret, in debita obser-
 vantia tesseram ex corde minus fucato
 gaudium suum testari conatus est*

G. NIELSEN,

S.S.Th. Stud.

